

MEISNE

1019

OLL

NIEN-



Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

Comparati mihi
Witzeb.
p. mat. 12. q.
p. hinc. 4. q.
Al. Joh. Reibel.
1624.

CHRISTOLOGIAS SACRÆ
Disputatio Secunda

D²

HUMANA CHRIS-
TI NATURA.

Quam

Annunte Θεολόγος

SUB PRÆSIDIO

BALTHASARIS MEISNERI
S. S. Theol. D. & P. P.

*In privato Collegio examinandam
proponit*

M. JOANNES CONRING
Frisius.

*Habebitur Calend. Novemb. horis pomeridianis
in minori auditorio.*



WITTEBERGÆ,

Ex Officina Johannis Gormanni,
ANNO M. DC. XX.

CHRISTOLOGIAS SACRAE

Dictionario secundae

D.

HUMANANA CHRI-

STI NATURA

Summa

Abbas

Abbas

BALTHASARIS M. FISHER

S. Theol. P. P.

In praesentia Collegii

Abbas

M. D. D. D. D. D.

Abbas

Abbas

Abbas



WITTEBERG

In Officina Johannis

ANNO M. DC. XX.



DE HUMANA

CHRISTINA- TURA.

THESIS I.

Demonstratum est priori disputa-
tione, Filium Dei Dominum nostrum
Iesum Christum verum Deum de vero
Deo & ex substantiâ Patris natum e-
iusdem esse cum ipso essentia, gloria, & maiestatis,
consequens nunc est, ut probemus eundem Dei fili-
um, propter nos homines & propter nostram salu-
tem ubi venit plenitudo temporis, descendisse de cœ-
lis & incarnatum & hominem factum esse.

I I. Principio autem videndum est, quo pacto
Diabolus articulum hunc per organa sua oppugna-
re & destruere molitus semper fuerit.

III. Omnium verò hereseon, quæ sub Evangeli-
um ortæ sunt fons & origo fuit Simon ille Ma-
gus, cuius in actis Lucas meminit, qui inter cætera
quoque docuit, Christum nec venisse, nec à Iudæis
quicquam pertulisse.

IV. Secuti hunc sunt initio secundi seculi Gno-

De hereti-
cis huma-
nitate.

CHRIST
oppugnan-
tibus.

Irenæus lib.
I. c. 20.

Cap. 8. v. 13.
& 18.

August. ad
Quodvult
har. 1.

4
Stici, Christum ut aliam personam à JESU distin-
guentes, & illum in hunc jam natum & grandem
pene 30. annorum descendisse docentes. Horum plu-
res ac portentosas de Incarnatione Christi fabulas

Lib. 1. c. 34. lege apud Irenæum.

Lib. 1. c. 5. V. Ab his teste eodem Irenæo Valentiniani er-
randi occasionem ceperunt: putârunt illi, Filium
August. Dei per virginem Mariam tanquam per canalem
her. 11. aut fistulam sine ullâ de illa assumptâ carne transi-
isse. Renovarunt hunc errorem Patrum memoriâ
Anabaptistæ: nec multum ab iis abit Michaël
Serverus Arrago, quando carnem Christi divi-
nam esse & genitam asserit ex substantia Patris.

VI. Imperante Antonino Pio Cerdon & Mar-
cioni ejus discipulus negarunt filium Dei veram as-
sumsisse carnem, sed putative tantum esse habitum
pro homine ab hominibus, ac proinde non vere sed
secundum dōxonov & Παντασία actiones & pas-
siones suas peregisse arbitrati sunt. Notam fuisse
Philast. ca. hanc heresim primo seculo constat ex Ignatio, dum-
44. & 45. modo ejus sunt, quæ extant Epistolæ. Propugnarunt
Ep. ad Tars. & Smyrn. eandem Manichæi, quorum sectæ antesignanus
A. C. 278. agnosci capit an. 4. Aureliani Imp.

Socr. lib. 1. c. 17. VII. Sub Constantino Magno surrexit Arius
A. C. 324. qui in Christo verum quidem corpus a-
gnovit, sed animam ipsum assumesse negavit, fin-
gendo divinitatem, eas quæ animæ sunt propriæ, a-
ctiones & partes sustinuisse. Ejusdem erroris fuê-

TE

re Eunomiani, qui & Actiani dicti: nec non A. C. 361.
Apollinaris pater & filius, Laodiceni, circa
tempora Iuliani Imp: qui tamen in hoc ab Arria-
nis differunt, quod dicant, CHRISTUM assum-
sisse σώματα ἐμψυχωμένην quidem, sed anima ra-
tionali destitutam, & fuisse in CHRISTO ψυ-
χήν φύσικην καὶ ἀλογον, non autem λογικὴν, &
quam νῦν καὶ ἡγεμονικὸν appellamus. Præterea
Augustinus ait ipsos de carne CHRISTI ita sensis-
se, ut dicerent carnem & verbum ejusdem substan-
tia: asserentes Verbum carnem factum esse, h. e.
verbi aliquid in carnem fuisse conversum, non au-
tem carnem de Mariâ susceptam. Sectatores eo-
rum Epiphanius vocantur διμοιρεῖται. Damnantur
in Concilio quodam Constantinopolitano & Romæ
à Damasco.

Theod. Di-
al. 2.

Her. 55.

Sozom. lib.

6. c. 27.

Her. 27.

Theod. lib.

5. c. 9. &

10.

IIX. Occasione hujus Apollinaristarum hæreseos
Eutychen quoque Archimandritam in erro-
rem esse prolapsam, vero non est absimile. Exortus
est Imperatore Marciano, docens in Christo non
conjunctas, sed confusas esse naturas, ipsumque divi-
num habere corpus. Putabat enim non posse aliter
refelli Nestorium, ob diversitatem naturarum duas
in Christo constituentem personas, nisi statueretur
una tantum ejus natura post incarnationem: qua-
re non inficiabatur fuisse duas naturas πρὸ τῆς ἐ-
νώσεως; μετὰ δὲ τὴν ἔνωσιν, inquit, μίαν φύ-
σιν ὁμολογῶ. Damnantur una cum Dioscuro Epi-
scopo Alexandrino in Concilio Chalcedonensi.

A. C. 451.

Evag. lib.

1. c. 9.

A. C. 451.

IX. Ab hoc Eutychianismo tum plures postea pro-
venere heretici, & primo quidem *μovoφωσिताι*
A.C. 553. autoribus Petro Gnaphæo & Severo damna-
ti in Concilio quinto OEcumenico, Constantinopo-
li habito. Secundo Acephali, qui & Angelitæ
dicti, non negabant illi duas in CHRISTO na-
turas, modo earum proprietates confuse concede-
rentur.

X. Tertio *Αφροδοξήται*, negantes corpus
Christi internecioni fuisse obnoxium, aut ullarum
affectionum naturalium particeps. Hujus dogma-
tis sive auctor sive propugnator fuit acerrimus Ju-
stinianus Imperator, teste Evagrîo.
Lib. 4. c. 38

XI. Quarto *Μονοθελίται* auctore Sergio Con-
stantinopolitano, qui non audientes damnatam
confusionem duarum naturarum asserere, tegu-
mento quodam eam increpare voluerunt, unamque
tantum in Christo voluntatem & operationem col-
locarunt, occasionem hæreseos vide apud Camerar.
In Explic. Chronol. Niccph. A.C. 681. Damnantur in Concilio sexto OEcumenico Con-
stantinopoli celebrato, Imperatore Constantino Po-
gonato.

XII. Atq; hæctenus expositum est, quam mirabi-
liter simul & miserabiliter humana Christi natu-
ra impugnata semper fuerit, consequens est, ut e-
andem argumentis ex scripturâ petitis, quam fieri
potest, accuratissime defendamus.

XIII. Occurrunt autem primò vocabula sive
nomina in S. S. ex quibus vera Christi humanitas
potest

Demon-
stratur fi-
lium Dei
integram
humani-

potest demonstrari, eaque sunt vel abstracta vel ratem ve
concreta, quorum illa naturam, haec personam à re assum-
naturâ tamen humanâ denominatam exprimunt. fisse.

XIV. Inter abstracta primaria sunt duo. 1. Vo-
cabulum *αερος*; quod quamvis diversimodè in
scripturis accipiatur, de Christo tamen quanto
predicatur, Synecdochicè sumitur, totamq; homi-
nis naturam declarat, & quidem quatenus infirma
est, ut Ioh. 1, 14. 1. Timoth. 3, 16. Hebr. 2, 14. 1. Iohan.
4, 2.

Fulg. de
Incaruat.
Christi
c. 8.

XV. Alterum est vocabulum Seminis: hinc Heb.
2, 16. *λόγος* & dicitur assumpsisse semen Abrahamæ, &
Galat. 3, 16. appellatur semen Abrahamæ, Davidis, 2.
Sam. 7, 12. semen mulieris, Gen. 3, 15. semen benedi-
ctum, Gen. 22, 18.

XVI. Inter vocabula concreta tria sunt preci-
pua. Primò nominatur homo, Rom. 5, 15. 1. Cor. 15,
21. 1. Tim. 2, 5. Secundò appellatur Filius, & 1. qui-
dem hominis, Dan. 7, 13. Matth. 8, 20. Marc. 2,
10. Luc. 5, 24. & passim alibi. 2. Abrahamæ & Da-
vidis, Matth. 1, 1 cap. 6, 27. cap. 22, 42. Marc. 12,
35. Luc. 18, 39. cap. 20, 41. 3. Mariæ, Matth.
13, 55.

XVII. Tertiò vocatur primogenitus 1. Ma-
riæ, Matth. 1, 25. 2. primogenitus inter fratres,
Roman. 8, 29. 3. primogenitus omnis creatu-
ræ, Coloss. 1, 15. 4. primogenitus ex mortuis,
Col. 1, 18. Apocal. 1, 5.

XII. Præter hæc alia quoq; CHRISTO nomi-
na propter humanitatem tributa leguntur. Voca-
tur enim fructus ventris, fructus terræ subli-
mis, Virga de radice Jesse, vir à femina circum-
datus, fructus ventris Mariæ, fructus
lumborum Davidis, primitiæ dormientium
&c: ex quibus omnibus humane nature veritas
contra quosvis adversarios satis firmiter potest de-
monstrari.

Contra Marcionitas & Manichæos. XIX. Secundò ea nobis sese offerunt testimonia,
quæ probant CHRISTUM verum habuisse cor-
pus. Ipse enim Matth. 14, 25. Marc. 6, 49. Luc. 24,
39. negat corpus suum phantasticum aut spectrum
seu spiritum esse. Tribuuntur deinde Christo in scri-
pturis vera membra, ut sunt caro, sanguis, ossa,
caput, facies, oculi, aures, os, lingua, pectus,
latus, manus, pedes, &c. Constat id quoque ex
dicto Pauli Hebr. 2, 14. ut pueri participant car-
ne & sanguine, sic & filius Dei: At pueri non pu-
tative sed re ipsa carnem habent & sanguinem: E.
& Christus.

Contra Valentinianos & Anabaptistas. XX. Tertiò adsunt testimonia, quæ Christum
verè ex Mariâ virgine conceptum & natum esse af-
ferunt, non verò è cælo delatum, ut Matth. 1. v. 16.
Luc. 1, v. 35, Galat. 4, 4. Luc. 1, v. 43. dicitur fructus
ventris Mariæ, non hospes. Hinc B. Vigilius lib. 3.
inquit: Angelus ad Mariam locutus est, quod
nascetur ex te, ut veritatem corporis sumen-
dam

dam ex virgine manifestius declararet. Nam
qua fuit caussa Dei verbo per uterum virgi-
nis transitum facere, si nihil inde quaerebat
adsumere?

XXI. Quarto tribuitur Christo vera anima & Contra
quidem rationalis, Matth. 20, 28. cap. 26, 38. cap. Arianos
27, 50. Tribuuntur ipsi propria anime attributa, & Apol-
qualia sunt scientia & electio, Esai. 7, 15. Sapi- linari-
entia & Prudentia, Luc. 2, 40-47. 52. Volun- stas.
tas & desiderium, Iohan. 5, 30. Luc. 22, 15. Tri-
buuntur ipsi effectus anime, ut amor, Iohan. 13, 34.
Zelus, Iohan. 2, 18. Tristitia, Matth. 26, 38. Gau-
dium, Iohan. 11, 15. Timor, Marc. 14, 33. &c: Ex
quibus eleganter demonstrat Fulgentius, veram in
Christo fuisse animam: unde & Epiphan. hanc con-
fessionem oppositam esse ait Apollinaristi ὄχι ἀΨυ-
 $\text{χην, ὄχι ἀναισθητον, ὄχι ἀνόητον σάρκα καὶ ἡψυ-}$
 ῶμα εἶχεν σωτῆρς.

Lib. 3. ad
Trasimun-
dum.

XXII. Neq; minus in Christo reperiuntur quin- Contra
to dua diverse ac inconfuse voluntates, divina vi- Mono-
delicet & humana, has enim ipse nobis distinctas o- cheletas.
stendit, quando ait, non quero voluntatem, Ioh. 5, 30.
meam, scilicet mihi ratione assumpta humanitati
propriam, sed voluntatem eius, qui misit me
patris; cum quo videlicet quia mihi una & ean-
dem est essentia, una quoq; & eadem est voluntas,
& alibi Non sicut ego volo sed sicut tu vis. Matth. 26,

XXIII. Hinc in Concilio generali sexto ita con-
clu-

39.

clusum est: Sicut in tribus personis Trinitatis tres voluntates asserere absurdum est, quoniam una natura est, quam consequitur una voluntas; ita in una Christi persona, quæ duas naturas habet, duas voluntates & duas operationes naturales negare impium est.

Contra *XXIV. Sextò ad probandam veram Christi humanitatem non leve est argumentum, quod corpus vere passibile assumpsisse constat tum ex quærelis ipsius passim descriptis, tum ex testimoniis veteris & novi Testamenti, quibus passio & quæ circa eam acciderunt, copiose describuntur. Vocatur enim vir dolorum, & qui vere languores nostros tulerit, & dolores nostros portaverit. Unde Fulgentius: Omnes carnis infirmitates voluntarias quidem, sed veras Christus habuit, quia carnis humanæ naturam non in phantasia, sed in veritate suscepit.*

**Aphtharodoce-
tas.**

Esa. 53, 4. 5.

**Lib. 3. ad
Trasim. c.
25.**

**De proprietatibus humanæ nature a Ad-
yo as-
sumtæ.**

XXV. Sicut itaq; verus & perfectus homo, sic quoq; Christus, quatenus verus homo, suas habet proprietates tum communes tum proprias.

XXVI. Communes sunt vel perpetuæ seu essentielles, vel temporariæ seu accidentales: Essentiales sunt vel totius vel partium. Totius, ut esse creatum finitum, vivere, sentire, moveri, &c. Partium proprietates sunt vel animæ, ut esse incorporeum, invisibilem &c: vel corporis, ut esse quantum, circumscriptum &c: atq; hæc humanita-

ti Christi conveniunt omnes, quoniam in omnibus Heb. 2, 17.
nempe essentialibus nobis factus est similis. Hinc
eleganter Ignatius: Verum corpus Maria pe-
perit, quod esset divinæ naturæ domicilium,
tale nimirum, quod omnia quæ propria sunt
humani corporis, nobiscum haberet com-
munia.

XXVII. Proprietates temporariæ seu acciden- Matt. 21, 16
tales etiam sunt vel totius, atq; huc spectat status Luc. 2, 40.
exinanitionis, vel partium, videlicet animæ, ut i- Matth. 26,
gnorantia quarundam rerum, incrementum sapi- 28.
entia, tristitia &c: & corporis, qualia sunt præ-
ter assumptas infirmitates, in uno tantum loco exi-
stere, actu videri, palpari &c: hæc enim non sunt
perpetua & ἰσχωρῶς propria.

XXVIII. Attributa verò carnis assumptæ propria
seu individuantia, quibus ab aliis hominibus di-
stinguitur vicissim sunt vel totius vel partiū. To-
tius sunt vel transitoria vel perpetua. Inter illa
præcipua sunt conceptio ex Spiritu S. Luc. 1, 35. na-
tivitas ex virgine, Luc. 2, 7. descensus ad inferos,
Eph. 4, 9. descensus in cælum Marc. 16, 19. reditus
ad iudicium, Act. 1, 11. Iob. 5, 27.

XXIX. Totius perpetua sunt ἀνεπιστάσια, (quia
caro assumpta non subsistit per peculiarem ἰσχω-
ρῶν) subsistentia in λόγῳ immunitas à peccato, Esa. 53, 9.
communicatio idiomatū, sessio ad dextram Patris, Heb. 4, 15.

XXX. Attributa individuantia partium sunt vel
animæ, cuius perpetuum est habitualis gratia ple-
nissi-

nissima, vel corporis, cuius perpetua sunt immunitas à morbis, incorruptibilitas, summa glorificatio, quæ contigit corpori post resurrectionem: transitorium autem miraculosa & absoluta in utero virginis formatio.

XXXI. Ex hiis patet differentia inter humanitatem Christi & nostram, quæ tantum accidentalis est, & convenientiam essentialem non tollit.

De infirmitatibus humanæ naturæ à λόγῳ assumptis.
XXXII. Hæc de attributis, sequuntur infirmitates, quas Christus utpote, qui in similitudinem hominum factus est, & habitu inventus ut homo Philip. 2, 7. ex liberrimâ suâ voluntate nulla necessitate coactus assumpsit, sunt quæ, vel corporis vel anime.

XXXIII. Infirmitates corporis eas Christus assumpsit, quæ sunt communes omnibus hominibus & consecuta peccatum originale, ut sunt frigus & æstus perperessio, dolorosa fames & sitis, difficilis labor, somnus, fatigatio, dolores, & mors ipsa, quæ in Christo fuere inculpabiles, ut loquitur Damascenus. Non autem assumpsit infirmitates personales, quales sunt omnis generis morbi, nec culpabiles, concupiscentiam videlicet aut motus inordinatos.

Lib. 3. de fide Ortho. 6. 20.

XXXIV. Sic neque infirmitates animi personales ut nasci stolidum &c. aut culpabiles, ut est peccatum originale assumpsit, sed tantum communes, easque inculpabiles.

XXXV. Inter has primò est ignorantia mentis & naturalis rerum imperitia, quæ non minus fuit

in Christo puero, quam aliis hominibus, ut constat ex dictis Esai. 7, 15. Luc. 2, 40. 52. Matth. 21, 19. Non autem fuit in Christo ignorantia prave dispositionis, quæ cum errore conjuncta est, sed pura negationis & simplex.

XXXVI. Secundò sunt affectus & appetitus naturales, inter quos præcipue in scripturis de Christo prædicantur letitia, tristitia, amor, odium, spes, timor, admiratio, & zelus seu ira.

XXXVII. Non tamen uno & eodem modo affectus hi & infirmitates Christo insunt, ut nobis. Præterquam enim, quòd nobis adherent ex necessitate nature, Christo verò ex liberrimâ voluntate, etiam objectis, modo appetendi, adjunctis, & effectis à se invicem differunt.

XXXVIII. Assumpsit autem defectus nostros propter nostræ salutis precium, ut sanguinem fundere, & ita nos redimere posset, inquit Bonaventura. Et Fulgentius: Quicquid fuit infirmitatis animæ, sine peccato & suscepit & pertulit, ut dum humanæ animæ passiones in anima, quam accepit, vinceret, nostras quoque animas ab infirmitatibus liberaret.

XXXIX. Restat nunc ut paucis videamus, quare Christum verum hominem esse oportuerit. id est propter officium mediatoris: nisi enim talem dederis inter Deum & hominem, qui ita sit medius, ut ex utroque, utrumque sit, i. e. ut & Deus sit propter divinitatis, & idem homo sit propter hu-

Lib. 3. Sentent. dist.

15. art. 1.

q. 1.

Lib. 3. ad

Trasim. c.

16.

Quare

Christū

hominē

esse oportuit?

mani-

Lib. 5.

manitatis naturam, humana divinis quomodo reconcilientur, non ostendit, inquit B. Vigilus.

Lib. 3. de fide c. 1.

XL. 2. Ob naturæ humanæ liberationem. Erat illa ob lapsum Adam rea iræ divinæ & subiecta æternæ damnationis: eandem igitur assumpsit λόγος & in suam *ἁλώσασθαι* ut sic in illâ & per illam à reatu poenarum omnium liberaretur. Unde Damascenus: Deus homine victo non nisi per hominem vinci voluit Tyrannum.

Gen. 3, 15.

XL I. 3. Propter necessariam passionem: postulabat enim justitia divina ut quia poenas gravissimas eramus promeriti, in illâ ipsâ naturâ, quæ peccaverat, & per quam Deus offensus erat, peccatum puniretur, & Deus iratus placaretur. Unde in Protevangelio dicitur semen mulieris conteret caput serpentis.

Heb. 2, 14.

XL II. 4. Propter sanguinis effusionem & mortem. Sine sanguinis effusione non fit remissio, Hebr. 9, 22. nec sine morte testatoris testamentum ratum est, v. 16. Debuit itaq; Christus fieri homo, ut sanguinem effundere & mori posset pro nobis & per mortem aboleret eum, qui habebat imperium mortis.

XL III. 5. Propter fraternitatem & capitis conditionem: Messias debuit esse frater hominû juxta Psal. 21, 23. Heb. 2, 11. Simulq; caput nostrum, Eph. 4, 15. 16. Quomodo autem vel frater vel caput esse posset, si nostram non assumpsisset naturam?

XL IV. 6. Propter necessariam compassionem

nem: redemptorem & pontificem nostrum oportet esse misericordem, qui nostris infirmitatibus possit compati. Hoc autem fieri adeo commode non posset, nisi & ipse homo factus per omnia tentatus fuisset, ut Apostolus concludit Heb. 2, 17. 18. & cap. 4, 15. In eo ergo, quo circumdatus fuit infirmitate, in eo condoluit ignorantie & erroribus nostris, & in eo compassus est infirmitatibus nostris, ait Fulgentius.

Lib. 3. ad

XLV. 7. Ad restandum summum filij DEI amorem. Quis enim impofterum ambigat de 30.

Trasim. c.

Christi dilectione: nemo unquam carnem suam odio habuit sed nutrit ac fovet eam, Ephes. 5, v. 29.

Christus autem est de carne & de ossibus nostris. E. sincere nos diliget, sufficienter nutriet, potenter fovet. Gratia Dei non poterat gravius commendari, quam ut ipse unicus Dei filius in se incommunicabiliter manens, indueret hominem, & spem dilectionis suæ daret hominibus, homine medio, ait Augustinus.

Lib. 10. de

Civitat.

XLVI. 8. Ad ardorem charitatis excitandum æquum enim est ut redamemus eum, qui nos adeo intense amavit, ut non angelos sed nostrum semen assumeret. Erubescant impij, qui Christo pro beneficiis malefacta, pro amore odium, pro gratitudine contumelias reponunt. Nos contra diligamus diligentem nos, & pro tantâ miseratione æternum glorie hymnum gratis animis canamus.

Dei c. 29.

Heb. 2, 16.

Miren-

Serm. de
nativit.

Mirentur alij mirabilia mundi; nos autem cum
Cypriano miremur Deum in utero virginis, o-
mnipotentem in cunabulis.


XLVII. Atq; sic breviter & pro ratione institu-
ti ad adstruendam humanam in Christo naturam
hec ad disputandum proposita sunt.


DEO immortalis & soli sapienti sit
gratia & gloria per JESUM

CHRISTUM in
secula.

FINIS.








B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



GIAS SACRÆ
 Secunda

A CHRI-
 TURA.

ΘΕΟΛΟΓΩΝ
 RESIDIO

S MEISNERI
 D. & P.P.

o examinandam
 onit

CONRING
 US.

mb. horis pomeridianis
 auditorio.

BERGÆ,
 nnis Gormanni,
 DC. XX.